POEMATA VARIA IN FUNERE

Excellentissimi, ac Reuerendi Domini M.

IOANNIS CLOBUCII,

IN ACAD: OLIM CRACOVIENSI Philosophiæ Doctoris Collegæ maioris, SS. Theologiæ ordinarii professoris Canonici Sanctæ Annæ, &c.

AD

Admodum Reuerendum Dominum. D. Martinum Campium Vadouium, Philosophiæ & Sacræ Theologiæ Doctorem, Canonicum S. Floriani Collegam maiorem, ex amici morte mærentiss. à Bac: & Studiosis almæ Acad: Crac: obseruantiæ ergô concinnata.

CRACOVIÆ,
In Officina Nicolai Lobij.
Anno Domini 1609.

Dedicatorium.

Ad R. P. Mart: Vad:

COnſtans, Sophorum gloria, fer tui
Mortem Sodalis, quid gemis? intimi:
Virtus perire namq; neſcit
Deſine delicium dolere.
Non dura ferro, Parca retunditur,
Haud arte Clotho furua refellitur:
Aſt fama viuax, & tyrannos
Ridet, & exiguum ſepulchrum.
O celle Patrum, lux Academiæ:
Diuis amice, quam tibi Næniam
Offert iuuentus, vt ſerena
Fronte, legas petimus, VAdoui.
LVctu remoto, cerne: Clobucij,
Fallax beatum mundus habet nihil:
Joannis exemplo doceris.
Excute rore genas rubentes.

Matth: Phaginius
art: Bacca:

Epigramma.

Quid te priuatum queritaris lumine dextro?
Sed lumen Fidei cernere quemq; facit.

A LIVD.

Lingua mihi Taciti, Cor Palladis, os Ciceronis.
Non obij: moritur cui mala vita fuit.

Vltimum vale M. Ioannis Clobucij ad ſuum Vadouium.

EHeu fugaces præcipiti rota
Labuntur anni, ſcireq; non queunt
Ægri, dierum curſum, & horam,
Terrigenæ, indocilis ſenectæ.
Incerta certis quid iuuat vrere?
Pellæus heros, & Darius potens
Onuſtus auro, Iuliumq;
Sydus iniqua tulêre fata.
Incerta mundus pollicita exerit
Quos tollit altè Sors, grauiùs premit:
Virtute cœlos occupare
Rex, inopesq; valent Coloni.
Ergo beatus quater & amplius
Qui non retractat tradere candida
Summo Tonanti vota, mente
Peruigili meditatur aſtra.
Valeto amice, quem calor ætheris
Alti perurit, Rex ſuperûm pia
Secundet acta, te nitentem
In patriam reuehatq; mecum.

STAN: POMORSKI. A. B.

Mærentis Academiæ nænia.

QVis mihi nunc natum ſtricto demeſſuit enſe?
Quîs lumen noſtrum funere merſit acri?
Quò mihi nate fugis? quis me ſeruabit inermem
Nate mihi vita carior alme mea.
Ergò ne Muſarum longus memorabitur ordo?
Occubuit Natus docta Mineruа tuus.
O vtinam inuiſam liceat perrumpere vitam,
Funeſtos liceat deſeruiſſe dies.
Heu mihi qualis eras, cum te viuente diſertum
Floruit ingenium Pieridumq; chorus.
Heu quantum coluit diuinæ Palladis artem
Aſſuetus docto cum Cicerone loqui.

Hunc ego mæsta Parens subsellia prima tenentem
Vidi, & in eloquio verba dedisse suo.
Quanto ego tunc proprio præsensi gaudia corde,
Quantis tunc poteram me satiasse bonis!
Tunc mihi Pægasidum licuit decurrere campis,
Et licuit merito verba dedisse viro.
At nunc quis casus, subitæ & mutatio sortis?
Quis mihi te sæuo robore turbo tulit,
Occidit illa meæ spes vnica certa salutis:
Occidit heu nunquam spes reditura mihi.
Minate occumbis vita mihi carior ipsa.
Per Stygâ te liceat per vada, saxa, sequi.
Non sic pollicitus de te prædixit Apollo
Sperabam longos te numerare dies,
Ecce tuus Pallas, fautor nunc vester alumnus
Occubuit Musæ, cultor, Apollo, tuus.
Ecce sophus periit, crudeli morte peremptus
Phæbe tuam lusit Mors inimica manum.
Et vos fata manent Musæ, non arma Mineruam
Defendent, doctos mors rapit atra viros.
Clobucium mors atra tulit, qui plurima nobis
Præstiterat docto dum valuit studio.
Dum mihi non licuit tecum producere vitam,
Nunc liceat tecum iungere fata necis.

IACOBVS BIALECKI.

Academiæ mærentis threnodium.

HEu quantos mærens gemitus Academia promit
Tanto orbata, sua conditione, viro!
Consiliis subnixa eius fuit illa frequenter,
Auxiliatrices sensit & ægra manus
Quis nunc componet mæstos liuore Penates?
Quando iudicium concidit vsq; tuum.

STAN: LABECKI. A. B.

Vox mortui ad omnes
Omnia vanitas.

QVid mortalis homo mortem mihi dicis iniquam?
Te de sorte tua vox probat hæc querulum.

Vsq;

Vsq; adeo miserum si tu mihi ducis, iniquus
Arbiter es, quantis aucta ea vita malis!
Non tot bruma niues, non tot dat campus aristas:
Non ver tot flores, non tot & Hybla fauos.
Non mare tot pisces, non fert tot littus arenas,
Non tot & autumnus poma dat arboribus.
Quot mala fert hæc vita procax mortalibus ægris,
Et nunquam solido fluxa beatq; bono.
Gaudet hic ille dolet. cupit hic: horrescit at ille:
Sic sors instabili turbine cuncta rotat,
Qui summum recta colitis pietate Tonantem
Cernite, sit quantum rebus inane hominum!

ANDREAS TARANOVSKI.

EMBLEMA.

TIppula dum tremulis ludit percærula plantis,
Ac solido tutum tramite currat iter
Quid mirum liquidis quòd non submergitur vndis?
Vis? leuitas nullo pondere namq; grauat.
Monstrat id exemplo IOANNES ecce recenti
Gloria IOANNES Clobucij ille soli.
Dotibus auctus erat naturæ, (nam fuit olim,
Inter honoratos fama secunda viros:)
Corporis auctus erat simul idem rebus abundè
Et pariter mentis dotibus auctus erat.
Pectoris applicuit nunquam tamen ille thesauros
Istis, queîs mundus fallit in ima trahens.
Profuit ingenio multis, virtute mereri
Omnibus optabat, quàm leuis alta petit!

M. PH. a, b.

Superstes est fama Clobucii.

DEsine turba queri, mestum ne fundito carmen,
Desine funereos accumulare rogos.
Soluitur in cinerem corpus, sed spiritus astra
Scandit: ad æthereos auolat vsq; choros.

Ne mirere, etenim sunt cuncta sub orbe caduca,
Abstulit æternum Iuppiter ipse solò.
Mortuus est, fuerat nam mortis lege reuinctus,
Nunc viuus volitat docta per ora virûm.

IOANNES SILNICKI:

Homo Bulla.

QVid miserande paras curis distentus acerbis?
Quid studio mentem conteris ipse tuam?
Sunt tibi diuitiæ, sunt cordi prædia, quæso
Non adeò in cælum turgida colla leues.
Vt bulla exoriens tremulas vibrata per vndas
Decrescit subitò, sic homo quisq; cadit.

STANISLAVS SILNICKI.

Mors nescia vinci.

ALcidæ vires celebras quid prisca vetustas?
Quid nomen clari tollis ad astra viri?
Collaque quid memoras Plutonis vincta cathenis,
Viribus Herculeis peruolitasse Styga?
Nunc vbinam est? cecidit, crudeli morte peremptus,
Cur? mortem Herculeus non labor exuperat.

SAMVEL SILNICKI.

Hora mortis incerta.

HOrrida mors miseros mortales falce cruenta
Dum metit, & nullas audit auara preces.
In promptu caussa, est cur nullis illa mouetur,
Crudelis precibus non metuitq; minas.
Ferrea mens olli, non aures, lumina nulla:
Idcirco nullas audit iniqua preces,
Quare dum rigidum pectus, dum ferrea corda
Mors gerat inuigilent pectora quæq; hominum.
Nec fidant pueri ætati innuptæq; puellæ:
Ætas nam celeri labitur ecce pede.

Nec fi-

Non fidant iuuenes virtuti, viribus illa
Hectoreis nunquam cessit & Herculeis
Nullum consilium illa senum timet atq; Sophorum,
Non timuit solers pectus & in genium.
Quare cum mortis nihil est incertius hora,
Morteq; non quicquam certius esse potest.
Viuamus vigilem vitam sic tristia lethi,
Spicula nil poterunt cuiq; nocere viro.

HIERONYMVS ARDENTI S.C.

Mihi hodie tibi cras.

QVi sibi promittit longæuæ gaudia vitæ:
Fallitur heu nimium, vita caduca hominum.
Aspice cuius heri vitalis spiritus artus
Rexit. eas hodie deserit, ècce vides.
Te quoq; cras eadem forsan manet hora suprema:
Imo hanc quis nouit num Deus adijciet?
Ecquid enim vita est hominis, nisi puluis & vmbra?
Bullaué quæ vitreis turgida fertur aquis.
Nullumrestituit pietas, facundia nullum,
Stamina cui rupit tetrica Parca semel.
Ergo tuæ nimiùm cessa confidere vitæ,
O iuuenis: propere hanc, sed reparare stude.

ALEXADER MELCHIORID:

Discipulorum mærentium vox.

MAxima fœcundo reddebas dogmata nobis,
Pectore Clobuci summe vir ingenio.
Summus Aristoteles mirando quicquid in orbem
Ingenio fudit, tené latere quijt?
Quicquid grandiloquo scripserunt vsque cothurno
Vates, quid dulcis Tullius eloquio.
Id tibi facundus docta cum Pallade Apollo
Inter doctores, sorte fauente, tulit.
Ferrea sicné tibi perrupit stamina Clotho?
Occidis: at pietas non cadit illa tua.
Viues tu florens nobis per secula viues,
Et tuus in nostro pectore vultus erit.
Antiquæ fidei vindex, defensor honesti,
Liber in æthereis exspaciare plagis:

IACOBVS PLOCEN:

Epigramma.

Epigramma

Vixi non viuo, sed ad immortalia tendens,
Mortales curas rideo, tutus ego.

Aliud

Corpus humo tegitur, sed viuit fama perennis,
Quod natum mane est, sole calente perit.

ANDREAS GEZINSKI.

CHRONOSTICHON.

PallaDis occubuIt faX atq; Corona Mineruæ,
Vos mæstùm musæ promite voce melos.

ALIVD.

faX Iacet en Phœbi: Lachesis prostrata Cruenta:
falce, Mineruæ & honor pieridumq; Decus.

PETRVS MVCHARSKI.

TVMVLVS HONORIVS
D. O. M.

M. IOANNES GLOBVCIVS PHILOSOPHIÆ DOCTOR ET PROFESSOR. SS. TH. LECTOR ORDINARIVS. FATO INELVCTABILI PRÆVENTVS GENTIS GLOBVCIORVM RARVM EXEMPLAR. PIETATIS IN DEVM, AMORE IN ACADEMIAM, OBSERVANTIA IN OMNES, HIC ET VBIQVE, VITA, MORIBVS, ERVDITIONE CLARVS, VIR PRVDENTIA GRAVIS, NVLLI NON OB HVMANITATEM ET CONSILIVM MATVRVM AMABILIS. OPTIME DE LITERIS, DE AMICIS MERITVS. IVDICIO, ACVMINE, STYLO, PROMPTVS, QVICQVID MORTALITATIS MORTALIS HABVIT, IN HAC VRNA HVMILI, MOERORE STVDIOSIS PERPETVO, AMICIS DESIDERIO EREPTO PERENNI
ANNO DOMINI M.DC.IX. KAL. DECEMB.
ÆTATIS VERO SVÆ ANNO XL.
DEPOSVIT.

PHOENIX.

Securus moritur qui scit se morte renasci,
Quæ mors non dici, sed noua vita potest.

MAXIMIL; FREDRO.